

cappellano curiae nostrae vicario Cycensi, clericis, Johanne milite dicto de Hanevelt, Heinrico de Amlungesdorph advocato nostro et multis aliis clericis et laycis fide dignis.<sup>7)</sup>

Nach zwei Originalen im Stiftsarchiv zu Meissen mit den beschädigten Siegeln des Bischofs und des Capitels.

7) In B. fehlen die Worte *Nos quoque Bruno etc.* und nach *munimine roboratam* wird fortgefahren: *Testes huius sunt honorabiles viri Henricus praepositus, Petrus scriptor, dictae Misnensis ecclesiae decanus, Johannes de Gozerstete notarius noster, canonici Cycensis ecclesiae, magister Albertus de Storkowe notarius, Arnoldus cappellanus curiae nostrae, clerici, Johannes de Hanevelt, miles, Henricus de Amlungesdorph, advocatus noster, et alii quam plurimi fide digni. Dat. et act. Cyce anno dom. M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>. secundo. IIII<sup>o</sup> ydus Maii pontificatus nostri anno XV<sup>o</sup>.*

No. 27. 1306. 28. Apr.

*Das Domcapitel genehmigt eine durch Ueberlassung von Renten in Cölln an das Hospital gemachte Schenkung unter den Lebenden.*

In nomine domini amen. Nos Henricus dei gratia praepositus, Erkenbertus decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum.<sup>1)</sup> Etsi omnibus etc. — Utile igitur pium et laudabile factum discretorum virorum domini Conradi de domina nostra perpetui vicarii ecclesiae nostrae nec non domini Henrici provisoris et perpetui confratris<sup>2)</sup> hospitalis nostri Misnensis ac Pezcae de Boruz<sup>3)</sup> famulae dicti hospitalis ratum et gratum habentes et digno favore ac promotione sinceriter prosequentes<sup>4)</sup> ad notitiam universorum tenore praesentium cupimus pervenire, quod praedicti Conradus Henricus et Pezca pia consideratione pensantes quod beatus sit, qui super pauperem intelligit et egenum, beatitudini suae et utilitati hospitalis praedicti pauperumque inibi languentium devotius intendendo ad laudem dei et perpetuum commodum<sup>5)</sup> saepedicti hospitalis agrum, qui adiacet sepibus et horreis allodii eiusdem<sup>6)</sup> hospitalis in Colonia, apud Johannem de Pygauia civem Misnensem iusto emptionis et venditionis interveniente titulo emerunt sua<sup>7)</sup> pecunia sub hac forma, quod ipsi eundem agrum usibus suis applicent<sup>8)</sup> et possideant vitae suae temporibus integre et quiete, solvendo tamen censum ab eodem agro<sup>9)</sup>, qui per Johannem praedictum et suum patrem quondam Heinr. de Pygauia bonae memoriae solvi consuevit tempore ab antiquo, videlicet novem solidos denariorum, quos dominus Conradus de sancto Johanne perpetuus vicarius Misnensis consuevit recipere in dicto hospitali distribuens singulis sabbatis pro consolatione infirmorum et servitio speciali. Item decem solidos denariorum domino Conrado de domina nostra praedicto, qui sibi dudum de agro ipso<sup>10)</sup> solvi consueverunt, quia eos sua comparavit pecunia, quos quidem decem solidos ipse dominus Conradus de domina nostra ad elemosinam pauperum scolarium choro Misnensi<sup>11)</sup> deservientium deputavit, volens ut cum eis ad panem quem dictis scolariis dat et perpetuo dari instituit per quadragesimam allecia comparentur. Cum vero praedictos Conradum Henricum et Pezcam viam universae carnis ingredi contigerit, post mortem ipsorum dictus ager et eius dominium apud hospitale praedictum<sup>12)</sup> debet integre et sine impedimento quolibet absque omnium inpetitione perpetuis temporibus permanere,

1) decanus ac capitulum ecclesiae Misnensis B. 2) confratris perpetui B. 3) Pezce matronae dictae de Boruz B. 4) et digno — prosequents fehlt in B. 5) intendendo ad profectum et commodum. perpetuum B. 6) eiusdem fehlt B. 7) sua propria B. 8) applicabunt B. 9) tamen ab eodem agro censum B. 10) de agro ipso fehlt B. 11) Misnensi fehlt B. 12) praedictum fehlt B.